



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Gregor. Virne-burgius Ep. Azotensis n. 24

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

innumerabilia viderit, quæ solus emendare ipse potest; tamen & amorem videns, quem mihi erga SOCIETATEM idem ipse indidisset; voluit eo loco statuere, vel vile adminiculum, per quod gradum illa inde in cunctas Occidentis Indias faciat. Ergo per affixum Cruci Christum IESVM, obsecro te, summè Venerande Pater, ne me indignum hoc beneficio ducas, ne miserrimus hominum viam. Quin ita cenfeo nequaquam id mihi negari fas esse, quin sancto Spiritui repugnetur. Sacerdotes quinque, duos adiutores eorum velim. Ac precor istos Patres, Fratresque Dominos meos apud Deum agant, suam mihi vt opem ad ministerium tam grande largiatur: ac nominatim supplicent tuam mentem ad vota inflectat mea. Nihil euenire mihi infelicius, nihil nunciari tristius posset, quam has abs te preces repudiari: iterumque affirmo talem repulsam aduersus sanctum Spiritum fore: qui Tuæ Paternitati bonus inspiret, nosque omnes efficiat seruos suos, atque perdoceat omnia, præter Iesum, vel quod propter Iesum sit, nihil esse. Ita Præsul benignissime. Par. 3. Hist. Soc. lib. 3. num. 204. Et postea num. 209. Morbus & mors Optimi Episcopi describitur. Et ad finem additur. Non vnum, sed multa Societati Collegia meditabatur: & in eam rem quam optimo iure potuit, donatione, ac testamento rerum suarum pleraque destinavit.

Quos ardentissima postulat.

Quod si repellatur, repulsam fieri Spiritui Sancto affirmat.

24. A GREG. VIRNEBURGIO Episcopo Azotensi, qui dum maxime turbas Hereticus rabula aduersus Treuirensis Collegij principia excitaret, populum è loco superiore, & in cunctis conuentibus adhortari ad constantiam non cessabat admonens, vt bono animo esset, quod effusus in ea Vrbe sanctorum Martyrum sanguis coram diuino conspectu ciuibus opem suis implorans clamaret. Quin etiam propediem affore pollicebatur, viros qui fidem, religionemque illam prædicarent, quam ad eos Princeps Apostolorum Petrus per SS. Eucherium, Valerium, & Maternum transmisit. Ergo is iam homines Societatis monstrans, hæc verba (vti scribit P. Euerardus) præ letitia animi prope canti-

Societatis aduentus ab Episcopo Azotensi prædictus.

tans usurpabat passim. En hi sunt quos aliquando dixi vobis venturos. Id coniecturane, an diuino tactus spiritu ante prediceret, non equidem affirmarim. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num 104.

Eadem à
Virdunensi
desidera-
tur.

25. A NICOLAO PSALMEO Episcopo, & Comite Virdunensi, qui è impatientius flagitabat Virdunensis Collegij inchoationem, quod specimen fructus iam manibus tenebat è Scholis, quas accitos Colonia Sociorum quosdam, in condito abs se paucis ante annis Collegio habere iusserat. Cognouerat rationem Ordinis nostri, & dilexerat in Concilio Tridentino: perspexerat postea inter viam Ingolstadtj presertim, obseruaratque instituende iuuentutis formam, atque felicitatem. Itaque domum reuerso nulla prior, ac potior cura inerat, quam vt tale munimentum gregi suo, tum maxime ob temporum iniquitatem periclitanti, lupisque Vallato circumdaret. Inchoatum igitur, & receptum Virdunense Collegium. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. n. 86. Et postea Ibidem lib. 7. nu. 82. dicitur, pestilentie occasione dissipatum, & tandem restitutum ab eodem Antistite Nicolao:

Quam sit
necessaria,
carendo
noscitur.

qui cum Parisios eam ob rem venisset, testificans (quod & in tabulis foundationis apposuit) Carendo potuisse cognosci, quam necessarium esset, &c. Et cum totus esset (additur n. 85.) in renouando Templo S. Nicolai instruendoque Collegio, & benignitate vjjs omnibus promerenda in Patres; die eiusdem S. Nicolai, quo primum die in Templo instaurato salutis immolata est victima, non solum prandium vjjs, quale indulgentiam eius decebat, misit; sed ipsemet cum familia sua in Collegium venit, & prandentibus ministravit ab exordio ad finem, representans eam Domini reuertentis à nuptijs erga vigiles seruos benignitatem, de quo scriptum legimus Luc. 12. Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Dei famuli nulla ratione potuerunt euincere, ne modestiam suam hoc rubore perfunderet. Ita ibi.

Summa
Virdunen-
sis Episcopi
in Societa-
tem beni-
gnitas.

Literæ per-
honorifica
pro Virdunensi
Collegio
stabiliendo.

26. A VALERIANO Virdunensi Episcopo, ex Vrbe Vilnae magni Lithuanie Ducatus Principe: qui pro Collegio Societatis ibi stabiliendo ad Cardinalem Hosium sequentes literas dedit. Illustrissime, ac R^{me}. in Christo Pater, ac Domine. Partim Officij mei